



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 78. Varia dissidia Romæ composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

scripsit, Sixtum IV. hoc festum & officium approbasse, Clementem autem VI. illud reprobasse (oblitus erat hic Author, quod Clemens VI. jam Anno Christi 1342. & Sixtus IV. primum Anno 1471. federint) Paulum V. denuo idem festum sanxisse, & Innocentium XI. illud abrogasse: Ergone Innocentius XI. Festum hoc abrogavit, dum Officium apocryphis indulgentiis, aliisque falsitatibus respersum fidelium usui eripuit, & emendatum restituit, illudque, quod jam dudum nullisque vitiis obnoxium in usu fuerat, in suo vigore reliquit? Erubescat hic nugator exclamare: *En! Paparum concordia, discors; indicio & argumento, quid in religione ipsorum Brevia & Bullæ valeant: attamen contemni, non autem refelli merentur miseri ejusmodi Scriptores, qui judicium de Pontificum Bullis & Catholicorum ritibus suæ sectæ legibus & inveteratæ calumniandi consuetudini semper, numquam vero veritati, æquitatiq; consonum ferre didicerunt.*

§. LXXVIII.

Varia diffidia Romæ composita.

Postquam Innocentius XI. Pontifex diffidia cum Hispaniæ & Franciæ Oratoribus propter abolitam immunitatem

Theatr. Europ.

Hist. eccl. Tom. LXIV.

Q

fe-

Sæc. XVII. feliciter composuerat, Poloni Regi
 A. C. 1678. Legatus Princeps Radzivilius totius
 Regni nomine filiale eidem obsequium
 præstitit, præter hunc insuper Romani
 venerant Græci atque Armeni Episcopi
 qui suarum Provinciarum nomine eun-
 dem Pontificem debita officii testifica-
 tione, ac venerando pedum osculo ho-
 norabant. Die autem vigesima secun-
 da Maij Ludovicus Emanuel Portocar-
 rerus Cardinalis Hispaniæ Legatus
 lemni pompa ingressus, eundem Inno-
 centio obsequii pensum exsolvit, simu-
 que grates egit, quod Papa ad levanda
 Regni necessitatem decimas Eccle-
 siasticorum bonis benevole concessisset.
 Nec tamen inter hæc publicæ lætitiæ
 honorumque signa deerant majoris
 fastidii argumenta; præprimis enim
 non sine animi sui mæore summus
 Pontifex perceperat, quod Gallicæ
 impellente Rupellensi Episcopo
 modo in Francia, sed etiam Romæ
 Ecclesia Gallicæ Nationi propria festum
 Cathedræ sancti Petri, qua primus
 Romæ sedit, inconsulto Papa abrogare
 publicasque pro Romani Pontificis
 columitate preces fundi solitas inter-
 dicere molirentur: cum ergo Innocen-
 tius graviora adhuc mala pertime-
 ret, huncque Episcopum ad tentanda
 quævis nimis proclivem sciret, totum

litem sua moderatione ac prudentia ad- Sæc. XVII.
A.C. 1678.
huc in ortu suffocare studuit, mox ta-
men nova dissensio Pontificis animum
afflixerat; cum enim Canonici ad San-
ctum Antonium in Delphinatu absenti-
bus Regiis Deputatis supremum suæ
Congregationis Præpositum eligerent,
Franciæ Rex hujus electionem velut
irritam declaravit, aliumque nova e-
lectione subrogari præcepit: quo facto
Pontifex suam jurisdictionem violari
ratus, vehementer apud Regem que-
rebatur: Subidem ferme tempus haud
absimile inter eundem Papam & Ve-
netam Rempublicam exortum est dissi-
dium: vacabant enim in ea nonnulli
Episcopatus, ad quos nominandi jus
sibi competere obtendebat Pontifex: e-
contrario autem Veneti *jus*, ut vocant,
Patronatus opponebant, illosque Cleri-
cos, quos Papa ad hosce Episcopatus
nominaverat, Venetiis Romam redire
compellebant: Id quidem iniquissimo
animo ferebat Pontifex, tempori ta-
men cedendum ratus, quod auctorita-
tis severitate impetrare desperaverat,
rebus longanimitate compositis ob-
tinuit.